



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de  
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,  
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Solvuntur objectiones,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

Septuaginta Hebdomades abbreviata sunt super A  
populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut  
consummetur pravaricatio, & finem accipiat pec-  
catum, & deleatur iniquitas. Quo loco, de pec-  
cato originali loquitur Archangelus, testatur Inter-  
pretes. Et de hoc etiam loquitur Deus Isaac 53.  
dum ait: Propter scelus populi mei percussus es, &  
propter ulcus quod erat in eis, ut ex Hebræo qui-  
dam legunt. Ulcus autem vulnus antiquum est,  
quod proinde in nobis rectè significat peccatum  
originale, propter quod delendum Filius Dei ve-  
nit in mundum. Unde Joan. 1. de Christo dicitur:  
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.  
Quod exponens Glossa ordinaria, desumpta ex  
Beda, ait: Peccatum mundi dicitur originale pec-  
catum, quod est commune totius mundi. Nec ob-  
stat quod in aliquibus versionibus legatur in plu-  
rali, peccata mundi, nam peccatum originale,  
cum virtualiter multiplex sit, & radix aliorum  
peccatorum, potest in plurali vocari peccata, ut  
patet ex Psalmo 50. ubi Propheta Regius ait: Ec-  
ce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in pec-  
catis concepit me mater mea. Ubi peccatum origi-  
nale, quod à matre acceperat, vocat iniquita-  
tes, & peccata, quia omnia alia peccata, quæ  
per totam vitam perpetraverat, in illo virtua-  
liter continebantur, & ab illo ut à causa & radice  
pullulabant.

74. Probatur secundò conclusio: Deus statuit in  
tempore carnem sumere, ut totam naturam quæ  
in Adamo perierat restauraret: At etsi nullum  
aliud præter originale peccatum fuisset, tota na-  
tura eodem modo perisset, & à jure gloriæ cæ-  
lestis excidisset: Ergo ad eam sublevandam Chri-  
stus venisset. Major constat ex supra dictis: Mi-  
nor etiam videtur certa, peccatum enim origina-  
le est peccatum totius naturæ, & inficit omnes  
homines, ex Adamo per seminalem propagatio-  
nem descendentes, atque illis claudit januam  
regni cælestis, ut in Tractatu de peccatis osten-  
dimus: Ergo etsi nullum aliud præter originale  
peccatum fuisset, totum genus humanum periis-  
set, & à jure gloriæ cælestis excidisset.

75. Dico secundò: Solis peccatis actualibus exi-  
stentibus, non venisset Christus, ex vi præsentis  
decreti.

Conclusio hæc constat ex dictis circa præceden-  
tem, si enim liberatio à peccato originali sit pri-  
marium & principale motivum Incarnationis, eo  
non existente, Christus non venisset, ex vi præ-  
sentis decreti: cessante enim fine primario & prin-  
cipali alicujus operationis, ipsa operatio cessat.

76. Confirmatur primò: Una ex rationibus, quæ  
juxta SS. Patres specialiter Deum moverunt, ut  
potius homini quam Angelo peccanti, per Incar-  
nationem subveniret, fuit quia per peccatum pri-  
mi hominis, tota natura perierat, & à jure gloriæ  
cælestis exciderat, peccatum verò Angelorum,  
solis Angelis peccantibus, non verò toti naturæ  
angelicæ detrimentum attulerat: Sed hæc ratio  
cessaret, deficiente peccato originali: Ergo illo  
non existente, Verbum Divinum non venisset.

77. Confirmatur secundò: Ex vi decreti præsen-  
tis, Verbum Divinum venit in carne passibili &  
mortali, ut articulo præcedenti ostendimus: Sed  
peccato originali non existente, caro non fuisset  
passibilis & mortalis, nam ut ait Apostolus ad  
Roman. 5. Per unum hominem peccatum in hunc  
mundum intravit, & per peccatum mors: Ergo  
peccato originali non existente, non venisset  
Christus, ex vi præsentis decreti.

Tom. IV.

O Bicies primò contra primam conclusio-  
nem: Deficiente integrâ ratione motivâ di-  
vinæ voluntatis & decreti, debet etiam cessare  
effectus qui ex illo cõsequitur: Atqui non existen-  
tibus peccatis actualibus, deficeret ratio totalis,  
quæ Deum movit ad decernendam Incarnatio-  
nem: Ergo illis sublaris, & solo originali existen-  
te, Christus non venisset, ex vi præsentis decreti.  
Major constat, Minor probatur. Totale moti-  
vum Incarnationis ab æterno decretæ, fuit libera-  
tio hominum ab omni peccato, tam originali,  
quàm actuali; ut enim dicebamus initio hujus ar-  
ticuli, Christus venit non solum ad deleandum pec-  
catum originale, sed etiam ad tollenda peccata  
actualia: Ergo liberatio à solo peccato originali,  
non fuit integrum & totale motivum Incarnatio-  
nis, atque adeò ipso solo existente, deficeret ratio  
totalis quæ Deum movit ad mittendum Filium  
suum in mundum.

Confirmatur: Omnia peccata actualia in gene-  
re causæ materialis destruendæ, prævisa fuere an-  
te decretum Incarnationis: Ergo simul cum ori-  
ginali composuerunt totalem & integram causam  
seu rationem motivam decreti Incarnationis.

Ad objectionem respondeo, concessâ Majori,  
negando Minorem, ad cujus probationem, distin-  
guo Antecedens: Totale motivum decreti Incar-  
nationis fuit liberatio non solum à peccato origi-  
nali, sed etiam à peccatis actualibus, prout ad  
originale tanquam ad fontem & radicem reduce-  
bantur, concedo Antecedens; à peccatis actualibus  
seorsim consideratis & independentè ab origina-  
li, nego Antecedens, & Consequentiam. Dici-  
mus ergo totale quidem & sufficiens motivum  
Incarnationis, fuisse reparationem totius naturæ  
peccato originali infectæ, sed quia Christus in-  
numera diluit crimina, quæ ex illo peccato ut ex  
radice procedebant, veluti consequenter & secun-  
dario, ad satisfaciendum etiam pro illis Incarna-  
tio Verbi Divini ordinata est. Unde dici potest, li-  
berationem ab originali peccato fuisse totalem  
rationem motivam Incarnationis; liberationem  
verò à peccatis actualibus, fuisse illius causam  
quodammodo impulsivam. Exemplum est in Sa-  
muële, qui ex speciali Dei jussu venit Bethleem  
ad ungendum David in Regem, tanquam pro-  
pter finem primarium ac præcipuum, quo adep-  
to non venisset; habuit tamen aliud motivum  
impulsivum, scilicet offerendi Deo sacrificium,  
ut colligitur ex primi Regum 16. Aliud exemplum  
est in Medico, qui ad suum amicum alicujus ne-  
gotij pertractandi causâ venire disponens, & iter  
aggrediens, audit filium ejus gravi aliquo morbo  
detineri, & ideò promptiori animo ad amicum  
pergit, ut ejus filium visiter, & curet: ejus enim  
causâ motiva sine qua non conveniret amicum,  
est negotium pertractandum; at verò causâ impul-  
siva est curatio filij, sine qua absolute amicum  
conveniret, sed non cum eadem animi prompti-  
tudine.

Ad confirmationem, concessâ Antecedente, ne-  
go Consequentiam, quia, ut jam diximus, libe-  
ratio hominum à peccatis actualibus, non perti-  
nebat per se & primario ad motivum Incarnatio-  
nis, sed tantum secundario & ex consequenti, in-  
quantum hujusmodi peccata reducebantur ad ori-  
ginale, à quo tanquam à radice pullulabant.

LII ij

Unde falsum est quod ex peccato originali & actuali compositum fuerit totale & adæquatum motivum decreti Incarnationis; motivum enim primarium & principale illius, fuit deletio peccati originalis; secundarium verò & minus principale, redemptio seu liberatio à peccatis actualibus.

82. Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Christus venisset in mundum, etiam si non omnes homines, sed unus solus homo peccasset: Ergo potiori jure venisset, si essent plurium hominum peccata, quamvis non esset in illis peccatum originale. Consequentia patet, Antecedens verò est D. Chrysostomi homil. 3. in Acta Apostol. ubi explicans illa verba, & dederunt eis sortes, sic ait: *Unius anima perditio tantam habet iacturam, ut nulla ratio possit æstimare; etenim si unius anima salvis tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur &c.* Quibus verbis clarè docet, propter peccatum solum unius hominis, venturum Christum, etiam si alia futura non essent.

Respondeo, negando Antecedens, & ad illius probationem dico, Chrysostomum verbis illis solum intendere, misericordiam & amorem Christi erga singulos homines commendare, ratione cuius ita affectus erat, ut etiam pro uno peccatore redimendo, si Deus ita decrevisset, libenter vitam & sanguinem effudisset; sed hoc non ostendit, quod ex vi præsentis decreti, pro uno solum peccatore Christus venisset.



## DISPUTATIO VI.

*De quidditate Incarnationis.*

*Ad questionem 2. Divi Thomæ.*

**E**xplicata possibilitate, convenientia, & necessitate Incarnationis, & demonstrato fine præcipuo & primario propter quem facta est, consequens est ut de ejus quidditate & essentia differamus, modumque quo unio hypostatica facta est, declaremus.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Verum unio Verbi incarnati sit facta in natura, vel in persona?*

**D**iximus in disputatione præcedenti, circa Verbi Divini Incarnationem, & modum quo unio Verbi Divini cum humanitate in Christo facta est, duos olim fuisse errores omnino oppositos. Primus fuit Nestorij, Patriarchæ Constantinopolitani, qui negabat unionem naturæ humanæ & divinæ in Christo fuisse factam in persona, sive ex hac unionem resultasse unam personam, quæ simul esset Deus & homo; sed dicebat Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui erat Verbum Divinum unitum unionem accidentali. Primò secundum inhabitacionem, in quantum scilicet Divinum Verbum habitavit in illo, sicut in templo, speciali modo quam in alijs iustis. Secundò per unitatem seu conformitatem affectus, in quantum voluntas illius hominis erat semper conformis voluntati Verbi Divini. Tertiò secundum operationem, quia dicebat hominem illum fuisse Divini Verbi instrumentum. Quartò secundum dignitatem

**A** honoris, prout scilicet omnis honor qui exhibetur Filio Dei, coexhibebatur filio hominis, propter conjunctionem ad filium Dei. Hinc Christum, non Deum, sed Deiferum esse dicebat, & B. Virginem, non *Deolusam*, id est Deiparam, sed *Keisobozon*, hoc est Christiparam, appellabat. Hinc etiam negabat has locutiones, *Deus est passus*, *Deus est mortuus &c.* quas Catholici admittunt, propter communicationem idiomatum.

Secundus error fuit Eutychemis, Dioscori, & aliorum, qui ut unitatem personarum contra Nestorium servarent in Christo, dixerunt in eo esse unam tantum naturam; ita quod quamvis ante unionem essent duæ naturæ distinctæ, divina & humana, in unionem tamen coierunt in unam naturam, & sic dicebant Christi personam ex duabus naturis esse, non autem in duabus naturis subsistere. Illud tamen observandum est, Eutychem in hoc discrepasse à Dioscore, quod dixerit in Christo unam esse naturam, scilicet divinam, per conversionem naturæ humanæ in illam: Dioscorus verò, & alij Eutychemis Discipuli, crediderunt ex divinitate & humanitate, tanquam ex partibus, factam fuisse unam naturam completam, partim divinam, partim humanam, nimis literaliter usurpantes exemplum S. Athanasij in suo Symbolo dicentis: *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita Deus & homo, unus est Christus.* Huc modum dicendi sequuntur Armeni, D. Leonti infensissimi, quem in suis sacrificiis anathematizare solent, eo quod errorem illum damnaverit.

### §. I.

*Uterque error proscribitur, & veritas Catholica stabilitur.*

**D**ico primò: Unio Verbi Divini cum humanitate in Christo, non est facta in natura, ac proinde necessariò asserendum est, Christum duabus constare naturis, divinâ scilicet & humanâ, in eadem persona Verbi unitis.

**C**onclusio est certa de fide, ac definita in pluribus Conciliis, præcipue in Calcedonensi actione 1. & 5. in quinta Synodo actione 1. & in sexta act. 11. 13. & 18. & tandem in Lateranensi cap. *firmiter*, colligiturque manifestè ex variis locis Scripturæ, ubi Christus verus Deus & verus homo dicitur, non posset enim sic denominari, nisi divinâ & humanâ naturâ constaret.

Ratio etiam suffragatur, nam ut discutit D. Thomas hic art. 1. tribus modis contingit fieri aliquod unum ex duobus aut pluribus: Primò ex duobus integris, perfectis remanentibus, vel sine ullo ordine unitis, ut ex pluribus lapidibus fit acervus: vel aliquo ordine unitis & dispositis, ut ex lapidibus & lignis, secundum aliquem ordinem dispositis, fit domus. Secundò fit unum ex duobus perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Tertiò fit unum ex aliquibus non permixtis, vel permutatis, sed imperfectis, ut ex anima & corpore fit homo. At nullo ex his tribus modis dici potest, divinam naturam & humanam concurrisse in Christo ad constitutionem unius naturæ: Ergo dicendum est, unionem Verbi Divini cum humanitate non esse factam in natura. Major patet à sufficienti enumeratione modorum quibus contingit fieri aliquid unum ex duobus, vel pluribus. Minor etiâ quoad primam partem manifesta est, quia modus ille dicendi potius pertinere videtur ad errorem Nestorij, & aliorum asserentium unionem hanc esse accidē-